

constitutione ad alios socios retundare damnum opinor, quoniam illa terræ portio, quæ propter religionem quasi amissa censi potest, cæteris iudicio communi dividundò resarciri debeat *l. 3. π. commun. divid.* Sicut itaque aliàs exceptio firmare solet regulam, ita præter hunc casum jam enarratum socius absque socii voluntate in locò puro sepulchrum constituere prohibetur. Consentientibus autem reliquis sociorum, unicuique horum sepulchrum faciendi potestatem utraqve quasi manu largiuntur Jura nostra. Ita enim nullus eorum justam conqverendi præterdere habet causam, quâ conditionem suam ullo modo fateri queat factam deteriore, quoniam illi, ex quo præjudicium fortassis aliquod ipsi exurgere poterat, consensum adhibuit. Et quod consensus in loco puro, id in locò religioni destinato concessa in Jure nostro operatur licentia, quâ cuilibet sociorum permissum, etiam altero invito in eo sepelire & extraneum inferre *l. 6. §. pen. π. de R. D. §. 9. Inst. eod. l. 6. §. 6. π. commun. divid.* Quod enim alicui vi conventionis ab initio initæ, & potestate Juris concessum, illud deinde in vitis quoque cæteris sociis facere prohiberi nequit, cum re istâ debito, ad quem destinata, utatur modò.

XII. Cæterum, ut alias rati habitione consensus facto præterito accedens translativâ Juris fictione retrotrahitur ad initium actus, ut ipsa non alium plerisque in negotiis sortiatur effectum quàm mandatum actum præcedens *l. ult. C. ad SC. Maced. l. 60. π. de R. J. l. 56. π. de iudic.* Ita quoque hic etsi ab initio ad faciendum sepulchrum in loco puro uni sociorum assentire morati sint cæteri, postea tamen, si nihilominus mortuus illatus sit, illam illationem ratam habeant, rati habitio illa ad tempus, quò mortuus illatus est, retrotrahitur, ac si tempore illationis consensus fuisset interpositus. Atque hic est genuinus Marciani in *l. 6. §. pen. π. de R. D.* sensus, cui è diametro quasi contradicere videtur Justinianus Imperator in *§. 9. inst. de R. D.* ut quod ibi affirmativè, id hic legatur negativè. Commoti igitur exinde maximæ Jcti authoritatis *Corasius ad d. l. 6. §. pen. Theophilus, Ægidius Hortensis, Borcholt, Wesenbecius, Antonius Contius, Hottomannus, Dn. Ludwel.* & alii ad *§. 9.* voculam non expungendam existimarunt. *Holoander* e contra, teste *Vultejo* ad *d. §. 9.* negativam

C

tivam